Quelle: http://manuscripta.at/?ID=494
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



ad operandum bn. Ecce aperte ostendit libm arbm. per gratiam liberari. ut per illud bene operetur quis. Ideo dicit. illam libertatem nostram. que est ad bn faciendum. cuius supra meminit aug. esse libertatem ipsam arbitrii. gratia dei libertatem et ad uitam. Alii uero putant non esse ipsam arbitrii libertatem. sed aliam quandam que ex gratia et libero arbitrio in mente hominis deo operante incipit esse cum reparatur.

Certa determinatio utriusque questionis. qua dicitur libertas ad bonum et ad malum esse libertas arbitrii.

Verum nobis magis placet. ut ipsa libertas arbitrii sit. et illa qua quis liber est ad malum. et illa qua quis liber est ad bonum faciendum. Ex causis enim uariis sortitur diuersa uocabula. Dicitur enim libertas ad malum faciendum. antequam per gratiam sit reparata. Sed cum per gratiam fuerit reparata. dicitur libertas ad bonum faciendum. quia ante gratiam libera est uoluntas ad malum. per gratiam uero libera fit ad bonum. Semper quidem uoluntas hominis aliquomodo libera est. sed non semper bona est. Non enim est bona. nisi a peccato liberata. Est tamen a necessitate libera. unde aug. in libro de gratia et libero arbitrio. Semper in nobis uoluntas libera est. sed non semper bona est. aut enim libera est iusticie quando seruit peccato, tunc mala est. aut a peccato libera est quando seruit iusticie. et tunc bona est. De libertate amiseria.

Est iterum libertas amiseria. de qua apostolus ait. Et ipsa creatura liberabitur a seruitute corruptionis in libertatem glorie filiorum dei. Hanc libertatem homo habuit ante peccatum quia omni carebat miseria. et nulla tangebatur molestia. et plenius habebit in futura beatitudine. ubi miser esse non poterit. sed in hac uita que est inter primum peccatum et ultimam confirmationem. nemo a miseria liber est. quia pena peccati non caret. Repetit de corruptione libri arbitrii. ut addat alia.

Ex predictis iam apparet. in quo per peccatum sit inminutum uel corruptum liberum arbitrium. quia ante peccatum nulla erat hominis difficultas. nullumque impedimentum. de lege membrorum ad bonum. nulla impulsio uel instigatio ad malum. Nunc autem per legem carnis ad bonum impeditur. et ad malum instigatur. ut non possit uelle et perficere bonum. nisi per gratiam liberetur. et adiuuetur. quia ut ait apostolus. peccatum habitat in carne. Liberum quidem arbitrium cum semper et in singulis sit liberum. non est tamen partim liberum in bonis et in malis. et ad mala et ad bona. Liberum enim est in bonis. uel liberatum est. quam in malis uel liberatum non est. et liberum est ad malum quod per se potest quam ad bonum. quod nisi gratia liberetur et adiuuetur non potest. De libertate que fit ex gratia et que ex natura.

Libertas quidem apparet a peccato et amiseria per gratiam est. libertas uero a necessitate per naturam. Utramque libertatem nature. s. et gratie. notat apostolus cum ex persona hominis non redempti. ait. uelle adiacet mihi. perficere autem non inuenio. Ac si diceret habeo libertatem nature. sed non habeo libertatem gratie. Ideo non est apud me perfectio boni. Nam uoluntas hominis quam naturaliter habet non ualet erigi ad bonum efficaciter uolendum uel opere implendum. nisi per gratiam liberetur et adiuuetur. liberetur quidem ut uelit. et adiuuetur. ut perficiat. Quia ut ait apostolus non est uolentis uelle. neque currentis currere. i. operari. sed miserentis dei. qui operatur in nobis uelle. et operari bonum. cuius gratiam non aduocat hominis uoluntas uel operatio. sed ipsa gratia uoluntatem preuenit preparando. ut uelit bonum. et preparatam adiuuat. ut perficiat.

Hec est gratia. De gratia operante et cooperante.

Operans et cooperans. Operans enim preparat hominis uoluntatem. ut uelit bonum. gratia cooperans adiuuat. ne frustra uelit. Unde aug. in libro de gratia et libero arbitrio. Cooperando deus in nobis perficit. quod operando incipit. quia ipse ut uelimus operatur incipiens.

Sed alios

Quando est partim liberum arbitrium hominis et in malis et ad bona et ad mala.

Quando non possit per se erigi hominis uoluntas nisi per gratiam.

XXVI

Aug.